

acquirunt eius speciei formalem: eductum non est materia, ut Peripatus contendit, sed neque in materiam, aut primam, aut secundam inductum, ullam. Verum dum in exitu formatur, nutrimentum quo vivat, secum trahit, proprium scilicet, ac proximum humorem, quem in suam substantiam transformat. Sed hac de re, proprio postea loco. In semine ergo, cuncta insunt seminaliter, et actu seminali, ea, quæ ab eo postea prodeunt in actum formalem. Sed in eo insunt ita unita, ut extra prodeunt distincta. Et ut hic apparent omnino distincta, ita in semine sunt prorsus unita: nec ulla in eis apparet distinctio. Atque ideo, in uno sunt actu omnia. Et si in uno actu, cur non etiam inter se mutuo, ita sunt commista, ut aliud sit in alio, et omnia in omnibus, et omnia denique sint unum, et omnia itidem sint plura, uno, eodemque seminali actu. Actu nempe principe, actu principali, actu principii? Namque semen, eorum est principium? Quin imo illa omnia sunt, semen unum: sicuti semen unum, est illa omnia. Si hoc in re sen sata: in re mutationi, interituique obnoxia, tam sensatum est, tam rationi consonum, ut ratio, nulla ei repugnare queat, quid de summo principio erit putandum? Quod si principium hoc rerum quoque æternarum est principium, æternum, ipsum quoque esse, est necesse; et nulli subiectum mutationi. Tanti ergo principii tractationem resumamus. Illud ab aliis principiis distinguamus ita, ut a cunctis aliis secernatur, et dignoscatur. Habet enim una quæque rerum series sua propria principia, quæ in ea serie, et prima sunt, et ante omnia eius seriei reliqua. Et in quo, et a quo eius seriei omnia, et sunt prius, et postea producentur, et iam producta sunt post principium. Et ita hæc, cuiusque seriei principia, sunt inter se divisa, ut quod unius seriei est principium, seriei nullius alterius, principium esse queat, ut quod cognitionum, est principium longa serie subordinatarum, lucis principium esse non potest. Et quod huius principium est, cognitionum, aut naturarum, aut formarum, principium esse nequit. Sed hæc serierum principia, vocemus singularia, et particularia, et etiam specialia. Quæ quoniam a principio illo summo sunt producta, principiata quoque sunt revera. Atque ita verum fuerit, plura esse prima principia, quæ serierum sunt principia: et sunt primæ unitates, et ideæ de quibus postea. Et falsum quoque erit, principia prima esse plura. Unitates enim hæc omnes, ab uno veniunt. Quarum comparatione, id quod inquirimus, principium principiorum, iure dici, et potest, et debet. Hæc vero alia, quoniam a principio illo summo sunt producta, et principiata sunt, revera, et revera etiam, multitudinis serierum omnium sunt principia. Summum autem principium, quia primum est, principiatum esse nequit. Summum igitur appellemus, et primum, et absolutum, et supremum, et unum, quibus titulis, illud ab aliis principiis seiungamus. Huius condiciones, et proprietates diximus esse quatuor. Eas discutiamus. Prior illa, esse ante omnia, principii ne est proprietas, qua principium est? An vero eius, quod primum dicitur, qua primum? At est hoc iam a nobis determinatum. Primum scilicet esse id, quod alia sui ordinis omnia antecedit. Si primum hoc, ordinem aliquem cum rebus habeat, primum recte dicetur, si eas antecedit omnes. Sin vero ordinem nullum ad res habeat, primum dici non poterit. At forte, non est rebus coordinatum rerum principium. Sed est super res omnes, et trans res omnes, et ultra omnes. Vel perperam est a nobis deffinitum, primum esse id, quod ante omnia est? Et veritatis amore, propria quoque dogmata erunt respuenda. Vel deffinitio quidem, vera est, sed particularium serierum est, et eis tantum, sed omnibus competit? Cum hoc vero principio, nihil habet rei, vel exigua ei respondet, et imbecilla proportione. Ita esto. At primum absolutum, et primissimum, quomodo deffiniendum? Forte eo modo, quo principium absolutum, ut dicatur. Primum absolute, id esse, quod entia omnia antecedit. Esto. Sed et principium absolutum, omnia antecedit entia, non forte qua principium, sed qua primum. Nam ut principium, duas alias habet proprietates, quæ primo ut primo, forte non competunt. Non enim primo competit, ut in eo sint omnia, nec ut ab eo sint omnia. Vel et hæc primo competunt, eo modo quo, in unitate dicimus omnem esse numerum, et ab unitate omnem numerum profluere. Ita esto. Primum ergo, et principium, idem sunt, et sunt, modo principio efficientiam demus ad